







DE  
**RELIGIONE IVRAMENTI**

SUCCINCTE COMMENTATIVS

---

AD  
**ORATIONES**

A D. XXII. MART. A. R. S. MDCCLXXI.

HABENDAS

QUA DECET PIETATE

ET OBSERVANTIA

HUMANISSIME

INVITAT

**M. IO. GOTTL. BIDERMANN**

RECTOR.

---

*FREIBERGAE,*

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

**CXXXVI.**



**Q**uam Saluator generis humani in eo penso, quod superiore die sacro explicabatur, veritatem diuinitatis suae aduersus calumnias Iudaeorum multis iisque grauissimis argumentis defenderet, postremum hoc non erat, quo ad mirificum verborum suorum effectum prouocabat, dicens: si quis meum verbum seruauerit, ille mortem in aeternum non videbit. a) Et quo quidem certiore fidem huic effato conciliaret, sollempni iuramenti formula bis repetita hoc confirmat: *ἀμην, ἀμην, λεγω ὑμιν.* Quia vero dubitatio oriri potest, qua mente Dominus noster ipse iurare potuerit, qui alio loco nos, doctrinam illius profitentes, facere hoc vetuit: *μη ἐπιρκησεις,* b) et iterum prohibuit, c) *μη ὀμοσαι ἑλως;* tenendum est, verbum *ἐπιρκησει* ad eos solos pertinere, qui verbis conceptis quidem iurant, factas autem iurando promissiones, animi leuitate abrepti, seruandas esse, non arbitrantur. Itaque priori illo mandato Saluator eos a iurando arceat, quorum in mente occulti recessus et clandestinae reseruaciones resident, ut lingua quidem iurent, mentem autem iniuram gerant, d) cum voluntate decipiendi coniunctam. In altero autem loco est verbum *ὀμοσαι*, quod non solum iustum et legitimum iniurandum indicat, sed etiam ad periuria notanda adhibetur, quod aliis ex oraculis sacris probari potest. e) Quam grauem igitur culpam admittunt, et quantum reatum sibi contrahunt, qui iurantes diuino nomine abutuntur et veritati vim inferunt: tam bene et recte illi agunt, qui bonam causam iureiurando probant, confirmant et commendant. Nam si iuramentum religiosa rei alicuius honestae ac licitae testificatione constat, ut Dei gloria et focii innocentia defendatur, veritas in lucem proferatur, et rixis litibusque obex et finis ponatur; quis vel de vtilitate vel de necessitate illius dubitet? Nam quis nescit praeceptum diuinum: in meo nomine iuratore? f) vel quis dignitatem iurandi negare ausit, quod ad cultum diuinum pertinet, quo diuini Nominis excellentiam et maiestatem publice confitemur, g) et quo verum Deum iudicem et vindicem imploramus? Et quis honestatem iuramenti legitimi in dubium vocabit, quo luculentum fidei ac religionis testimonium praestamus, quo convictos nos esse profitemur, nihil Deo nostro incognitum esse, et quo gloria diuina manifestatur, prouehitur et propagatur. h) Tale igitur iuramentum non modo Deo gratum est atque acceptum

a) Ioh. VIII, 51.  
 Offic. L. III, c. 29.  
 VI, 13.

b) Matth. V, 33.  
 Matth. XXIII, 16. 18. 20. 21. 22.  
 g) Rom. I, 9.

c) ibid. 34.

d) Cic.  
 f) Deut.

h) Ps. LXIII, 12.



ptum, sed hominibus etiam tantum honoris quantum utilitatis comparat. Nam semper maior fides iuranti adhibetur, quam simplici ratione aliquid adfirmanti. Neque his solis tantum iuramentum prodest, qui illud praestant, sed etiam in naturae socium fructus eiusdem redundat, quia iuramenti beneficio multi innocentes liberantur, et multa dissidia componuntur. i) Accedunt plurima virorum illustrium et religiosissimorum exempla in sacris litteris obuia, qui veritatem iureiurando testati leguntur, quorum ex numero Abrahamus, k) Moses, l) Dauid, m) Paulus, n) etc. elucet. Imo Deum ipsum, o) et nominatim filium Dei iurasse, p) quem fugit?

Quod si vero iuramentum licitum ac legitimum Deum testem iudicem ac vindicem aduocat, facile intelligitur, cur Deus in veteri testamento per Numina fictitia, q) in nouo autem Christus per creaturas quascunque iurare prohibuerit? r) Huius enim generis iuramenta omni iure vanã, friuola, leuia, ieiuna, nulliusque momenti ponderis ac valoris adpellari et possunt et debent. Vnde etiam Saluator tale iuramentum in medium adferens, ita de eo sentit: *ὅθεν ἐστὶν, nihil est.* s) Et hunc in censum omnia fere iuramenta hominum profanorum referri possunt, qui vel per commentia sua Numina, vel per membra sui corporis, vel per alias res creatas iurabant, quibus vel singulare pretium statuebant, vel peculiarem virtutem inesse, sibi persuadebant: quod testimoniis luculentissimis probari potest.

Et de hoc quidem nullum est dubium, deos etiam a profanis hominibus ad iuramentum praestandum testes et ultores aduocatos fuisse. Nam IOVEM deorum maximum, ipsa Venus hoc honore dignum censebat, quod HOMERVS his verbis testatur: t)

*ὄμοσε γὰρ μέγας ὄρκιον, ὃ δὴ τετελεσμένος ἐστίν,  
 ἀΐσαμην κεφαλῆς πατρὸς Διὸς ἀγχιόχοιο.* h. e. iuravit magnum iuramentum, quod utique perfectum est, tangens caput patris aegiochi. Alii et inprimis Athenienses per MINERVAM vel Palladem hoc praestabant, *ματὴν Ἀθηνᾶν*, h. e. per Minervam! iurantes, quod Timoclem, Atheniensem fecisse, LVCIANVS narrat. u) Et quoniam inter vrbes Asiaticas Ephesus DIANAЕ sacra erat, non est, quod miremur, hanc etiam deam ad

i) Hebr. VI, 10.  
XX, 2.

k) Gen. XIV, 22.  
l) I Cor. XV, 52.

m) I Sam.

n) I Sam.

Ier. XLV, 23.  
Zeph. I, 5.

p) Rom. XIV, 11.  
r) Matth. V, 34. sqq.

o) Gen. XXII, 16.  
Apoc. I, 5. 6.

q) Ier. V, 7.

s) Matth. XXIII, 16. 18f

t) in Hymno Vener. v. 26.

u) in Ione tragædo. p. 1075.



ad confirmanda iuramenta iuocatam fuisse. Nam XENOPHON refert, w) puellam Ephesinam, Anthiam, medicum Eudoxum his verbis adiurasse: ορκίζω την πατρίαν θεαν Αρετην, h. e. iuro per patriam deam Dianam. Neque APOLLINI hunc honorem fuisse denegatum, ex HELIODORO constat, x) qui Chariclem μα τον Απολλων per Apollinem iurasse, narrat. Inprimis autem medici per eum atque AESCVLAPIVM iuramenta sua concipiebant. Ita enim HIPPOCRATES iurare solebat: iuro per patrem meum et patrem vestrum Aesculapium. y) Alios autem HERCVLEM, alios CASTOREM, et alios deam FIDEM, testes suorum iuramentorum implorasse, formulae loquendi, *mehercle, mecastor, et medius fidius*, aperte probant. Interdum etiam vno iuramento plura Numina simul testabantur, quod plerumque in foederibus sancendis fiebat. Ita Agamemnon foedus inter Graecos et Troianos paciscendum hoc iuramento auspicabatur; z)

Ζευ πατερ, Ιδηθεν μεθεων κρισειε, μεγαρε,  
 Ηελιος θ' ος παντ' εφορει και παντ' επαυρει,  
 Και ποταμοι, και γαια, και οι υπερεθε καμοντας  
 Ανθρωπος τινουτον, ο, τις κ' επιορρον ομοση, h. e. *Iupiter pater, qui Idae praees, gloriosissime et maxime, tuque o Sol, qui omnia vides, et audis, et fluit et terra, et qui apud inferos homines punitis periurium iurantes*, etc. Et alio loco ideam Agamemnon hoc praestat iuramentum: a)

Ιζω νυ Ζευς πρωτα θεων υπατος και αριστος.  
 Γητε και ηελιος, και Ερωνας, α' θ' υπο γαιων  
 Ανθρωπος τινουτου, οτις κ' επιορρον ομοση, etc. i. e. *Sciat nunc Iupiter primus deorum summus et praestantissimus, et Terra et Sol et Furiae, quae sub terra homines puniunt, quicumque periurauerit*, etc. Quem morem etiam Romanos servasse, LIVIVS est testis, b) hoc iuramentum prodens: *audi Iupiter, et tu Iuno, Quirine, diique omnes coelestes, vosque terrestres, vosque inferi, audite*, etc. Id quod VIRGILIUS exemplo Aeneae et Latini, foedus facientium, probat. Et ille quidem his vsus verbis iurabat: c)

*Esto nunc Sol testis et haec mihi Terra vocanti,  
 et pater omnipotens, et tu Saturnia Iuno,  
 et Mauors, qui bella tuo sub Numine torques,*

*fontesque,*

w) in Ephesiac. L. I. p. 44.  
 Hist. Dynast. I. p. 11.  
 v. 250. sqq.

x) Aethiopic. L. IV. p. 173.  
 z) Homer. II. F. v. 276.

y) *Abulpharag.*  
 a) l. c. II. T.

b) Libr. I.

c) Aeneid. XII. 176.



fontesque, fluuiosque voco, quaque aetheris alii  
relligio, et quae caeruleo sunt numina ponto, etc.

hic autem iurans non pauciora numina implorat, dicens: d)

haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera iuro,  
Latonaëque genus duplex Ianumque bifrontem,  
Vimque Deum infernam, et duri sacraria Ditis:  
audiat haec genitor, qui foedera fulmine sancit,

Praeter numina autem diuina etiam res creatas, quae dignitate ceteris  
ontecellere, et singulari virtute praeditae videbantur, ad iuramenta homines  
profani adhibebant. Scythas enim per ventos et acinacem hoc fecisse,  
LVCIANVS est testis, qui causam his verbis indicat; e) εχ; του δοκεσιν  
οι ανθρωποι και ο αννακνης θεοι ειναι; οτι ανθρωποις μεζον εδεν εστι ζωης  
και θανατου. Οποταν εν τον ανεμον και τον αννακην ομνομεν, ως τον  
μεν ανεμον ζωης αιτιον οντα, τον δε αννακην, οτι απροδνησκειν ποιει. h. e.  
nomine venti et acinaces tibi dii esse videntur? siquidem hominibus nihil  
maius est vita et morte, itaque per ventum et acinacem iuramus, et per  
ventum quidem, quia est principium et causa vitae, per acinacem vero, quia  
mortem infert.

Imo omnia corporis humani membra, quae praestantissima et maxime  
necessaria videbantur, praestandis iuramentis inseruisse, probatorum aucto-  
rum testimoniis constat. Hac mente oculos tangebant iurantes: quem  
ritum PROPERTIVS innuit, Cynthiam his verbis compellans; f)

Quam, quaeso, viles illi videantur ocelli,

Per quos saepe mihi credita perfidia est?

Hos tu iurabas, si quid mentita fuisses,

Vt tibi suppositis exciderent manibus.

Et quoniam dextram pro signo fidei habebant, per eandem saepe  
etiam iurare solebant. Testis est XENOPHON, haec narrans; g) ταυτα  
εδοξε, και αμορτα, και δεξιαις εδοσαι, h. e. ita visum est, et tunc iurarunt,  
et dextras mutuo dederunt. Imo Scythas sanguinem ad iuramenta facienda  
adhibuisse, LVCIANVS testimonio suo confirmat. h) Aliae gentes oscula  
mutua,

d) l. c. v. 195. sqq.

e) Opp. T. I. p. 637.

f) L. I. El. 15.

g) in Cyrop. ed. L. II. p. 190.

h) in Toxar. p. 957.



mutua figentes iurabant, *ορκισι Φιλιστοιρα ποσειδωνοι, osculo iuramenta firmantes*, HELIODORVS testatur. i) Alii autem iuraturi aras tangebant, quod exemplum Hannibalis probat, quem pater Hamilcar ad aram adducebat, eamque tenentem iurare iubebat. k)

Quamvis igitur iuramenta hominum profanorum merito explodantur: tamen cum ea superstitione, cui seruiebant, facile conciliari et condonari possunt. At enim uero praeter ista iidem multa alia ad iuramenta adhibebant, quae a religione iuramenti omnino abhorrent, et iuramenta friuola, ieiuna, leuia et futilia reddunt. Talia iuramenta ipse homo profanus, PLINIUS his verbis exagitat: l) *allium et cepas inter deos in iurcurando Aegyptus habet*. CICERO autem, m) LACTANTIUS n) et LVCIANVS eadem irrident, o) et IUVVENALIS ita perstringit: p)

— — *quis nescit, qualia demens*

*Aegyptus portenta colat?*

*Porrum et cepe nefas violare et frangere morsu est:*

*O sanctas gentes! quibus haec nascuntur in horris.*

Praeterea leones, asinos, boues, dracones, capros, crocodilos et serpentes in deorum iurandorum societatem cooptare non verecundabantur. Nam quis nescit, quam variis sub animantibus deastri hominum profanorum se occultauerint, Diana felis, Iunone vaccae, Mercurio Ibdidis, Venere piscis: speciem prae se ferentibus? quod ipse OVIDIUS non dissimulat, canens: r)

*Fele soror Phoebi, niuea Saturnia vacca,*

*Pisce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.*

Quae omnia hominibus ad superstitionem procliuibus tantam reuerentiam inspirabant, ut iuramentum facturi iis testibus uti, nulla se religione prohiberi existimarent. Massagetas enim per paludem Moesotiden, Cappadoces per montes, Indos per aquam, Prienenfes per quercum, et alios per alia iurasse accepimus. s) Quid? quod ipsum Socratem, summi nominis philosophum, hac de causa accusatum et capitis damnatum fuisse, CYRILLVS adfirmet, quod per quercum et canem iurare non dubitauerit, t) His TER- TVLLIANVS hircum adiungit, u) et Socratem quidem hoc non serio fecisse, statuit,

i) Aethiop. L. V. p. 212.

k) Corn. Nep. in Hannib. c. 2.

p) Sat. XV.

q) l. c.

r) Metam. V. Fab. 7.

s) Alex. ab Alex. Diar. genial.

L. V. c. 10.

t) contra Iulian. L. 6.

u) in Apologetico.



statuit, sed ad illos deaſtros illudendos, quos ciues ſui Athenienſes colebant, qui a Paulo *δεσποδαμονεζεροι*, i. e. *ſuperſtitioni prae ceteris addiſti*, vocabantur, quod w) haec eius verba docent: *Socrates in contumeliam deorum quercum, hircum et canem deiecit, et propterea damnabatur, quia hoc modo deos receptos deſtruebat.* Ad quam ſententiam MENAGIVS accedit, vbi Socratis cauſam defendit: x) LVCIANVS vero anſerem et platanum addit, cum quo PHILOSTRATVS conſentit, ſic diſputans: y) *ὠμυσε τον κυνα, και τον χινα, και την πλατανον*, h. e. *per canem, anſerem et platanum iurauit.* Quae lenia et inania iuramenta a Socratis religione profluſa aliena videri, XENOPHON non ſine cauſa ſuſpicatur: z) Haudquaquam enim ille deos plures ſtatuebat, ſed vnum eumque immenſum, infinitum, aeternum, et ceteris, qui pro diis venditabantur, longe praſtantiorem. Et quia hic philoſophus verum deum non in rebus creatis et factitiis, ſed in nubibus et ſublimi quaerendum eſſe, docebat, Ariſtophanes, vt illi aegre faceret, comoediam, quam Nubem adpellabat, edebat, plebi Athenienſium perſuaſurus, Socratem nubes pro deo colere: quo pipalo etiam Iudaeos poeta cauillabatur, canem: a)

*nil praeter nubes et cilli numen adorant.*

Tantum igitur abeſt, vt Socratem canes, anſeres, hircos, vel etiam gallos, quod STANLEIVS adfirmat, b) pro diis habuiſſe, ſtatueamus, vt potius, per eos iurantem ciues ſuos pudefacere voluiſſe, arbitremur. Et idem fere iudicium de *Zenone*, ſectae Stoicae chorago, qui per capparin, c) et de aliis philoſophis, qui per cramben iurabant, d) erit ſerendum. Quid vero de iuramento *per anchialum* ſit ſentiendum, paucis videamus. Legitur illud apud MARTIALEM, cum Iudaeo homine ita diſputantem: e)

*Ecce! negat, iurasque mihi per templa Torantis:*

*Non credo: iura, verpe, per anchialum.*

Praetermiſſis variis variorum opinionibus, quae loco non vno leguntur, f) pro certo et explorato habemus, poëtam, quia cum Iudaeo loquitur, etiam iuramentum Iudaicum in animo habuiſſe, et, vt iſte per ſuum Deum iuret, iuſſiſſe. Quum igitur iuramentum illud *ba ʒar, anochi el*, h. e. *ego ſum Deus!* ſemel atque iterum ſando audiſſet, illam Iudaeorum formulam iurandi, ſermone Romano per *anchialum* exprimebat.

Sed

w) Aët. XVII. 27. x) in Obſeruati. ad Diog. Laert. p. 92. y) in vit. Apollonii L. VI. z) Memorab. L. I. a) Sat. XV. b) Hiſt. philoſ. p. 183. c) *Potteri* Arrhaeol. Gr. L. II. c. 6. d) *Rhodigin.* Antiqu. Lect. L. XXVII. c. 28. e) L. XI. Epigr. 05. f) *Commentar. Academie Inſcript.* Vol. III. p. 455. *Sam. Peſiri* Var. Lect. I. p. 73. *Zornii* Bibliothec. Antiquar. Exeget. T. I. p. 203. ſequi.



Sed manum de tabula. Nos interim Deo immortali immortales gratias persoluimus, quod in ea religione nos nasci, iisque praeceptis nos imbui atque innutriti voluerit, quae repudiata hominum profanorum superstitio, nos non minus de veritate caelesti, quam de officiis supremo Numini praestandis ita conuincit, ut finem, quam fides nostra habet, praefixam, ex voto nos consequuturos esse, et speremus et confidamus. Inter haec autem officia mandatum de religione iuramenti omni iure referri oportere, nemo fere inficias ibit. Et haec in sententia eo confirmamur, quod nuper demum *SVMMÆ REVERENDI PATRES SYNEDRII DRESDENSIS* scholarum magistros singulari mandato admonuerunt, ut iuuenes suae curae et disciplinae commissos a periurio diligenter cauendo auocarent, ne DEVS ad iram prouocetur, salus hominum in discrimen adducatur, et religioni nostrae dedecoris macula adspargatur. Et hoc est illud argumentum, in quo orationes illorum versabuntur, qui iam in eo sunt, ut studiis, quae schola desiderat, cum laude peractis, eam in academiam contendant, in qua non solum puritas verae religionis et doctrinae salutaris ante duo saecula reparata fuit, sed etiam nunc exoptato cum successu conseruatur et propagatur. Et alter quidem,

*IO. GOTTLIEB STRASBVURGER* Hilbersdorf. Misn. oratione Romano stilo concepta, *argumenta ad veritatem religionis probandam idonea* exhibebit. Alter vero

*CHRISTIAN GOTTLLOB WEBER*, Miltitz - Misn. eisdem sermone Latino demonstrabit, *vnunquemque hominem ad certam religionem publice profitendam teneri*. His ab initio gratulabor

*Gottlieb Iohn*, Mohorn.

versibus germanicis *de usu sapientiae in religione tam intelligenda quam defendenda* praefatus.

Multis verbis Vos, *PATRONI ac FAVTORES*, ad beneuolam harum declamationum audientiam inuitarem, nisi de Vestra erga religionem propensione persuasus et conuictus essem. Quoniam igitur animo praeuideo, Vos argumenti dignitate adductos, cras, finitis ante meridiem sacris, praesentia Vestra nobis exoptatissima scholastica pergulas cohonestaturos esse, non modo animum huius beneficii memorem et religiosam recordationem pollicemur, verum etiam spondemus, omnem operam daturus nos esse,

*ut casti hac maneant in religione nepotes, g)*

Freibergae. d. d. XXI. Mart. A. R. S. MDCCLXXI.

g) *Virg. Aen. III, 409.*



Yb 627

ULB Halle

001 508 164

3



(811148)

TA → OL









Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

DE  
**RELIGIONE IVRAMENTI**  
SVCCINCTE COMMENTATVS

AD  
**ORATIONES**  
A D. XXII. MART. A. R. S. MDCCLXXI.  
HABENDAS  
QVA DECET PIETATE  
ET OBSERVANTIA  
HUMANISSIME  
INVITAT  
**M. IO. GOTTL. BIDERMANN**  
RECTOR.

*FREIBERGAE,*  
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

**CXXXXI.**